

**Disputatio medica, exhibens aegrum laborantem colica ... sub clypeo ... /  
G.W. Wedelii.**

**Contributors**

Franz, Elias, active 1674-1678.  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jenae : Literis Krebsianis, [1674]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kh6whrtz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



*JUVA JEHOVA!*  
**DISPUTATIO MEDICA,**  
 Exhibens  
**ÆGRUM LABORANTEM**  
**COLICA.**

*Hanc,*  
 Auctoritate & consensu  
*Nobilissimæ & Gratiosissimæ Facultatis Medicæ*  
*in Celeberrimâ Salanâ,*  
 SUB CLYPEO  
 MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS,  
*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi,*  
**DN. GEORGII WOLFF-**  
**GANGI WEDELII,**

Med. Doct. & Theoret. Prof. Publ. undiquaque Celeberrimi,  
 Med. Ducal. Saxon. Felicissimi, S. R. I. Acad. Natur.

Curios. Colleg. Primarii,  
*Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris omni honoris cultu*  
*plurimum devenerandi,*

*Publicæ Φιλιατρῶν Censuræ submittit*

A. & R.

**ELIAS FRANZIUS, EISENB. OSTERLAND.**

*ad diem Novembr. 1674.*

*In Auditorio Medicorum.*

---

*J E N Æ,*  
 TYPIS SAMUELIS KREBSII.




DISPUTATIO MEDICA  
IN  
O J I C A

AGNITIONE ACADEMIAE RECTORIS  
N. GEORGI WOLFF  
GANGI WEDELII

AS FRANKFURTI  
IN AUSTRIA  
F. E. W. A. S.





## PROOEMIUM.

**T**yranni & tortoris vicem in microcosmo obit DOLOR, qui variis illapsus membris, prout aptiorem invenit hinc vel illic sedem, miris modis & crudelissimè eundem fatigat. Si quæ pars deliquit, vel aliarum in se peccata suscipit, faciliè hujus sentire cogitur vim & impetum, ceu vexillum ibi spinam ponentis, ubi in unum magis coit, & affluxum humorum ceu rebelles subditos ad subruendum regnum conscribit cogitque. Sin ventri bene, si lateri, nil divitiæ poterunt regales addere majus.

Tantò magis sævire creditur, quò angustiori coarctatus spatio in plures sævire & partiri vires nequit, sed & in lato campo effreni mordet & tumultuatur imperio. Plenius inter hæc intestinum ingrato hoc hospite non rarò ita angustatur, ut verti videatur & propè spiritum elidere.

Colica hinc sub Tiberio Cæsare novo insignita caractere, quod cum priùs iliacos intra muros videretur latius expansa regia, hinc tyranni sævitia sedem ponere consueverit strictiorem. Nos accensas extinguere faces, & pellere feliciter invisum hostem operæ pretium ducimus, quod præsentì historiâ ut feliciter cedere jubeat supremus microcosmi & macrocosmi arbiter, ex animo precamur.

## HISTORIA.

**V**ir 54 annorum, temperamenti cholerici, cum Francofurti aliquot annos degisset, vini potui unicè adsuetus, hinc nuper aëre frigidiori huc



concessisset curru vectus, sæpius torminibus colicis tum aliàs tum in viâ afflictus, cum hætenus fructibus horariis, Cerasis, prunis Cereis, pyris copiosius esset usus, etiam sæpè manè jejuno ventriculo, heri ab intercessore carcerati intempestivo ad iram & excandescentiam commotus, hinc vespèrì farcimine & brassicâ muriatâ comestis lectum ingressus sentit tormina ventris immania; dolores dextrâ magis parte cruciant, & vago motu modò sursum modò deorsum eunt, in primis verò circa umbilicum usque ad scrobiculum cordis, interdum & ad dorsum extenduntur, vomitus urgent inanes, alvus suppressa est, sitit, cibum refugit, sudoribus frons madet; Petit consilium.

## RESOLUTIO.



Effectus, quo æger noster laborat, est symptoma à parte adfectâ Colica dictum, ἀπὸ τῆς κώλης, in quo secundum *Avicennam* ipsa causa latet; τὸ κῶλον verò ἀπὸ τῆς κωλάσεως, à torquendo, quia torminibus id ipsum Colicis maximè est obnoxium, seu potius quod doloribus hisce afflati totum intorquere cogantur corpus; aliis à κωλύω, ardo, quia transeuntes ibi ob quamplurimas cellulas remorantur fœces, dictum est. Quidam à colando derivant, quia ad modum colatorii se habet, ut fiat exoneratio fecum, ne simul & semel descendant. Dolor ipse dicitur Græcis κωλικὸν ἄλγος; Latinis *dolor colicus*, *adfectio Colica*. Vocantur etiam à veteribus tormina, docente *Mercuriali*, cujus causam addit *Platerus tr. 2. p. 2. cap. 13. p. 585.* quia nempe dolores admodum sunt atroces & tormentum adferentes, adeò, ut, autore *Erasto*, multi his doloribus adducti sint ad αὐτοχειρίαν. Germanis dicitur das Grimmen oder Grummēn



*men im selbe.* Vulgò quamvis perperam audit die *Beermutter* /  
quasi matricis affectus, id tamen non sine exemplo veterum  
fieri scribit *Henischius comm. in Aret. p. 341.*

Adesse hoc symptoma probatur (I.) tum ex ESSENTIALITER  
INHÆRENTIBUS seu PATHOGNOMONICIS, quæ sunt dolores circa  
coli regionem & quidem dextrâ magis parte, modò sursum  
modò deorsum, tendentes;

(II.) tum ex ESSENTIALITER CONSEQUENTIBUS seu SYM-  
PTOMATIBUS omnis generis, seu in *actionibus lesis naturalibus*  
sunt appetitus prostratus, & sitis; in *vitalibus* anxietas priora  
consequens; in *excretis* vomitus inanes, qui nausæa magis  
quàm excretionem molesti sunt, ut & alvi suppressio, quæ tor-  
mina hæc ut plurimum comitatur; in *qualitatibus mutatis* è *Phi-*  
*deonis* circa frontem, & alia; quæ omnia apta nata sunt sym-  
ptoma talismodi & comitari & significare.

CAUSÆ PRÆGRESSÆ, tam enormes sc. diætæ errores, eaq;  
quæ morbum hunc facillimè post se trahunt, de quibus mox  
pluribus dicemus, toto concurrunt modio.

Nec SIMILITUDO abludit, collatione factâ tum ad ægrum  
ipsum, neque enim insuetus fuit eadem etiam aliàs pati, tum ad  
alios, quotusquisque enim vel ex vulgi fece dolores hosce non  
pro colicis agnoscat. Latere nescit dolor, ubi verò se exerit,  
ibi morbum esse certum est.

SUBJECTUM ADÆQUATUM est *Ventriculus* cum omnibus  
intestinis, quia ipse circa ingesta ob debiliorem sui calorem,  
aliosque humores implicis suis hærentes, & fermentum in sta-  
tu secundum naturam menstrui vice fungens prosternentes,  
minùs rectè agit, non potest non in intestinis fieri talismodi  
adfectus, juxta illud: vitium primæ concoctionis non corri-  
gitur in secundâ multò minus in tertiâ.

Etenim hinc secundum *Dn. D. Mauriti. Hoffmannum* ab ex-  
pressionem relicta massa, quæ ceu caput mortuum extra corpus  
debebat promoveri atque eliminari, manet in intestinis & in-  
primis colo impacta ac fixa, adeoque præter alia causatur alvi  
suppressionem.

SUBJECTUM INHÆSIONIS seu PRINCIPALE est



COLON intestinorum omnium capacissimum, quod à dextro inguine incipiens circa dextrum renem assurgit versus hepar, & inde ut plurimum quidem sub costarum spuriarum cartilaginibus transversum fertur ad sinistram hypochondrii regionem, cuius magnam partem occupat, mox ad sinistrum renem contortum, pergit porro ad inguen sinistram, ubi sigmoideâ formâ inversâ satis amplè convolutum devolvitur ad os sacrum, ut in rectum abeat intestinum ac desinat. Adficitur verò hocce tum secundum omnes partes, tum, ut loquamur cum *Celfo l. 4. c. 7.* in eâ maximè parte, quâ cœcum est, seu circa principium, hinc elogio *Dn. D. Rolinc. lib. 3. epit. affect. partic. c. 13. p. 262.* dolor magis in dextro latere se exerit.

Diximus circa principium magis affici colon, quia ibi hæret intestinum cœcum, asservandis flatibus & halitibus exhalantibus naturâ dicatum, vid. *Simon Pauli quadrip. botan. p. 84.* & valvula coli, quæ & exitum concedit iisdem, & obstruit viam, prout sese habet.

CAUSA IMMEDIATA torminum horum est *solutio continui*, quam uno ferè ore totus profitetur Medicorum chorus; Possunt quidem plures esse causæ, sed tamen in eo omnes conveniunt, quatenus solvunt continuum & dolore sensum tactus, citra tamen evidentem hiatum seu solutam unitatem in facto, afficiunt.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, quoad *essentiam* spectata, sunt flatus intestino colo incarcerati & hinc inde fluctuantes, tunicis coli intestini se implicantes, ut neque deorsum neque sursum erumpere nec resolvi tamen queant, adeoque rodendo nimium ac distendendo illud agitant, ut sæpius brachii amplitudinem æquasse deprehensum fuerit, teste *Fernelio l. 6. de morb. & sympt. c. 10.*

Causæ materiales flatuum sunt (1) juxta *Galenum lib. 2. de loc. adfect. c. 5.* humores frigidi, lenti & viscosi intestinorum parietibus adhaerentes, aut in ventriculo aut ipsis intestinis ob calorem debiliorem generati, id quod etiam probare videtur *Sylvius id. pract. lib. 1. c. 11. §. 3*; Ubi, inquiens, pituita existit valdè viscida, vel aliàs vitiosa, ibi adfectionis, suffocatio-



nis aut melancholiæ hypochondriacæ, Scorbuti, Colicæ, aliorumque adfectuum affinium, & quidem graviorum generatio indies se prodit.

2. Humores acres biliosi circa colī principium & regionem cœci in dextro latere coacervati, qui acrimoniâ & mordacitate suâ hujus tormenti, docente iterum *Galeno l. c.* ut plurimum existunt autores.

*Chimici* causam spiritibus salium resolutis vel coagulatis tribuunt, quos inter etiam *Paracelsus* videri potest in *tr. de morb. à ♀ provenientibus.*

*Helmontius* mucaginem ponticam intestinis adhærentem accusat.

*Sylvius lib. 1. c. 14. p. m. 87.* causam materialem dicit esse pituitam viscidam, efficientem verò bilem tum acrimoniâ salinâ tum oleositate volatili peccantem, porroque pro cuiusvis humoris varietate variare quoque dolorem pluribus addit.

Quoad *essendi modum* peccant hi flatus 1. *quantitate*, copiosiores debito resultarunt ex frustrato chylicationis opere, hinc contineri intra debitum spatium nesciri, nec per vias ordinarias ἀνω vel κάτω seclusi distendunt, & tensione hâc tristissimam intestinis sensationem inducunt, & fibrarum continuitatem solvunt. 2. *Qualitate* nocivâ delinquunt, acri, stimulante & intestinis inimicâ, præsertim cum & alvi obstructio excrementa biliosa cumulet & fermentet, & ipse corruptus chylus ac bilis acrior subsistens, & in halitus resoluta pungat & ingrâtâ suâ acrimoniâ corrosionem intentet.

Hinc & *motu* peccant. Collecti ibi per σπυα. & ἐγισμὸν flatus peregrini ob vitiosam primæ culinæ ἀγίτησιν, hinc dolore oborto πέναντον & affluxus humorum accedit, ipsaque materia effervescent, tumultuatur & ἀνω viam affectat.

Inter CAUSAS REMOTIORES NATURALES occurrit TEMPERAMENTUM cholericum, ad generationem acrium biliosorum humorum ac flatuum quàm maximè aptum.

Nec abludit ÆTAS, quæ ad senilem vergens, ubi calor sensim



senfim decrefcit, tantò præfentius noxas ab *ἀνέμῳ* & neglectâ diatâ perſentifcit, quò magis ad priſtinos juveniles ferendos labores & errores præpoſterè ſolicitatur.

Inter CAUSAS NONNATURALES accuſandus eſt AER frigidus, cui ſeſe expoſuit æger, recenset enim hiſtoria ipſum ſpirante aëre frigidiori huc conceſſiſſe, quantum verò talismodi aura frigidior efficere poſſit, in propatulo eſt, idque duplici fieri deprehenditur modo, comprimendo nimirum & condenſando, quatenus (1.) calorem naturalem intropellit & cogit, qui impuſſus factuſque adeò fortior facillè humores liquat, vaporesque ac flatus diſtenſivos excitat; (2.) eundem verò diſſipat, ſi fortius ingruat, & coctionem apprimè debilitat, ut hinc largus flatuum proventus conſurgat. Fit hoc ipſum etiam in immoderatâ pedum refrigeratione, ubi frigus communicatur ipſis inteſtinis, unde in actione ſuâ læduntur, & impetum faciunt flatus. Hinc teſtantur obſervationes, quosdam incidiſſe in colicam, ſimul ac pedes in liberiore aëre paulò magis ſunt refrigerati.

MOTUS etiam huic morbo *ἡ καὶ ἡ πύξις* addidit, dum ægrum noſtrum curru vectum huc veniſſe hiſtoria meminit, qui motus immoderatus corpus nimium concutiendo & conquaſſando vicioſos humores commovit. Videmus toto die, quibus cruditates in primis viis abundant, motu citiori & aëri expoſitos turbas ſentire majores.

CIBI, quibus ſine ordine, vel ſummo mane uſus eſt, fuerunt corruptibiles & facilè in acrem, ponticam & mordicantem qualitatem degenerantes, fermentationi p. n. aptiſſimi, ad flatus verò producendos præcipui, v. gr. fructus horarii, qui auſteritate ſuâ ac aciditate occultâ corpori noſtro valdè inimici ventriculum obtuderunt, totumque ipſius tonum laxarunt ac ſerè pervertère. Cui quoque accedit, quod veſperi farcimine cum braſſicâ muriatâ ſeſe nimium ſatiaverit, quidpe qui cibis ad flatus & cruditates modò pituitoſas modò bilioſas generandas perquàm aptus, requirit enim ventriculum fortiorem, quem æger noſter ſi habuerit, tot tamen vitiis mirè debilitavit; hinc juxta illud *Siracida cap. 31. verſ. 24.*

ſomni



somni inquieti & tormina acciderunt facile. Abblanditi sunt  
gulæ, sed ventriculo & coctioni debitæ inconvenientes fuê-  
re; Cerasa dixeris, & pruna cerea, pestem ventriculi dixeris,  
eo scil. modo, quo æger noster iis usus est; imò fructus hi in  
genere chylum pessimum gignunt, & flatuum peregrinorum  
sunt fabri, præcipuè si in dispositum incidant corpus, & ordi-  
narii cibi vicem subeant, cum mensæ secundæ potius sint ge-  
nus, & iis cum pepsi societas sit infida.

Potus inæqualitas symbolum suum addidit, non solum  
quòd in viâ varia genera cerevisiæ haurire opus habuit, uti  
contingit in itineribus, sed & præcipuè quod vini usui peni-  
tus & quidem immodico adfuetus, loco mutato ab eodem in  
tantum abstinuit, & cerevisiâ ferè fuit solâ contentus; quæ  
repentina mutatio & à consuetudine digressio, ut ait *Gal-  
lenus*, corpora nostra non parum offendere potest, cum o-  
mnis mutatio magno virium indigeat robore, quale & æger  
noster 54. annorum non habuit cum hoc ultra 40. annum  
rarò reperiat, & in omni mutatione duo sint considerata,  
nim. rei consuetæ ommissio & ad insuetam transmissio: adeo-  
que senes seu ad senectutem vergentes consuetis potius fo-  
vendi sint.

Injuriam ventriculo fecit æger, quod ultra vires eundem  
obruerit, ultra calorem ipsum coegerit, & præter morem jam-  
dum ad flatulentias dispositum repleverit talismodi alimen-  
tis, quæ & concoquere par non erat, nec resolvere sufficiens,  
unde lerna malorum exorta postea fuit.

**I R A** atque excandescencia quantum valeant ad contur-  
bandos & efferandos humores, nemo non novit, cumque &  
his abripi se passus fuerit æger, mirum non fuit, plenis velis  
ipsum in morborum mare fuisse dejectum.

**Ad CAUSAS PRÆTERNATURALES** referri  
potest dispositio intestinorum vitiosa, & prægressus sæpius  
idem affectus, cum æger aliàs dudum, ob easdem ferè causas,  
nimirum humores tum in ventriculo tum intestinis vitiosos,  
torminibus afflictus fuerit colicis. Hinc instar procellæ sym-  
ptomatum exortorum sequentium ratio jam danda venit.



1. *Tormina* scilicet, quod jam diximus, solutionem continui à distensione & rosione intestinorum pro causâ agnoscunt, quæ cum gravia sint, immania quoque ipsa produxere.
2. *Dextrâ magis observantur parte*, tum ob situm cœci, tum ob valvulam coli intestini.
3. *Vago motu modò sursum modò deorsum eunt*, ob mobilem flatuum naturam, quo ipso à nephritico, qui fixus magis est, inter alia discriminantur dolore.
4. *Observantur circa umbilicum*, tum quia ibi quasi in centro utrinque conveniunt, tum ob situm anfractuosum intestini illuc sese volventis.
5. *Pertenduntur dolores ad scrobiculum cordis*, ob halitus ac flatus sursum magis prorumpentes, & ob spatium ventriculi majus illud extendentes, orificiumque ipsius superius vellitantes acriter ac rodentes.
6. *Interdum & ad dorsum vibrantur*, ob consensum partium adjacentium, contigui enim colo sunt renes, & nervorum etiam plexu intermedio consentiunt, quæ res non modò plebeis, verùm etiam doctissimis in arte magistris interdum imponit, ut æstiment renum calculo laborare eos, qui à distrahente flatu malè habent.
7. *Vomitibus inanes* ob consensum coli cum ventriculo, cujus fundum quasi adlambit, & irritationem materiæ biliosæ, licet non ad vomitionem sufficientem sunt.
8. *Alvi suppressio* oritur maximè ob vias flatibus obsessas, quatenus distendunt & valvulam coli obstruunt, adeoque & excrementorum descensum retardant, quorum fecalis humiditas in vapores quoque bonam partem resolvitur.
9. *Sitis* fit ob halitus acres, à bile in ventriculum retrogrediente, & orificium ipsius superius, ob copiosos ibi nervos à sexto pari ortos, valdè sensile nimium vellicantes.
10. *Adpetitus prostratus* ob menstruum & calorem ordinarium deficientem, & consequentem laborem & debilitatem digestivæ.
11. *Sudor circa frontem* seu ἐφίδρωσις consequitur anxietatem & spirituum resolutionem, unde pori cutis hiant, & contineri



tineri alveis suis nescit, sed vi quasi exprimitur serum. Quâ spe ad curationem accingere nos liceat, jam videbimus, PROGNOSTICIS signis ratione EVENTUS, TEMPORIS-que & MODI ejusdem consideratis.

Licet verò ab omni dolore & quidem longè magis à graviore hoc nostro valdè quantum prosternantur vires, quod ex anxioso frontis sudore & tristibus continuatis cruciatibus colligere est, adeoque adfectus negligendus non sit, quidpe cujus vehementia mortis ipsius optionem sæpè dubiâ reddit, præfagimur tamen ipsum lethalem non fore, sed truculentos hos impetus salubriter & auspicatò finiendos.

Neque diu durabit, sed *brevi* dabit inducias, neque quoad MODUM EVENTUS credimus eum in alios degeneraturum dubios, qualis est paralyfis, non quidem vera sed usitato in scholis medicis nomine *πάρεσις* dicta, quæ sæpissimè dolores sequi solet colicos, cujus etiam *Paulus Aegineta lib. 3. cap. 18. & 43.* mentionem facit. Neque ab obstructione porri cholodochi abibit in icterum, curatu quidem non adeò difficilem; neque terminabitur in hydropem siccum, quod fieri aliàs quoque solet juxta *Hippocratem 4. aphor. 11.* sed finietur resolutione & explosione flutuū, datâ portâ, & omni mitigatâ hosticâ turbâ.

CURATIO nititur indicationibus consuetis, curatoriâ, præservatoriâ & vitali. CURATORIA tristem sensationem respicit, continenti & fovenite correctâ vel eradicatâ causâ, sopiendum esse dolorem & vellicationem demulcendam. PRÆSERVATORIA antecedenti causa debita, ne revertantur tormina, aptis auxiliis præcavet, & intestina roborare indicat. VITALIS vires respicit vitales, ne sub tantâ mole vacillent. Satisfit hisce indicationibus depromptâ præsidiorum materiâ ex rribus usitatis loculis.

Ex CHIRURGICO quidem licet VENÆSECTIO, si adsit plethora vel febris, dolor diutius duret & cum inflammatione conjuncta sit colica, quin etiam vitiosa materia hæreat in mesenterii ipsius & intestinorum vasis, & metus sit, ne vehemens dolor sanguinem attrahendo inflammatio-



nem vel conturbando febrim excitet, convenire possit, administrata in basilicâ seu saphenâ; in nostro tamen ægro, cum absint hæc indicantia, consultius omittetur. CUCURBITULÆ verò opportuno tempore adhibitæ aliquid levaminis adferre possunt. *Riverius* magnam cucurbitulam sine scarificatione ventri admovendam suadet, ut & in dorso in parte posteriorâ ante & retrò, quam etiam *Galenus* l. 12. m. m. c. 8. cum multâ flammâ commendat, ut & propriam flatuosâ colicâ hanc curationem vocet, & incantamenti cujusquam simile quid efficere scribat, ita ut tum à dolore liberi, tum omninò sani redantur; imò etiam ipsis clysteribus cucurbitulam præmittit, quò ventosus prius digeratur spiritus. Eam nonnulli vino albo generoso calido, vel decocto carminante calido, prius elutriare & imbuere jubent. *Zacutus* commendat cauterium ventris cuti adhibitum, quod saltem locum habet (uti diximus) si materia hæreat in intestinorum vasis, non verò in ipsis intestinis. Sed quia in ægro nostro tale quid non occurrit, meritò hisce superfedemus.

Præcipuam curam ægroto nostro scenerat PHARMACIA, ubi primo omnium occurrunt & laudanda sunt LENIENTIA tum ἁλῶ assumpta, tum κατὰ infusa. Clysteres lenientes & simul flatus discutientes seu carminativi locum hîc obtinent primum, cum tutissima sanè administratio & sanitatis citissima recuperatio in hisce ritè adparatis consistat, teste *Fieno Physograph.* c. 19. p. 161.

Exempla, prout intentio ad emolliendam alvum, & excrementa, vel flatus discutiendos variat, possunt esse seqq.

Rx. rad. alb. ʒß. herb. ʒ. emoll. āa. mʒ.  
 fl. sambuc. chamæm. Rom. āa. mß. fol. sen. f. f. ʒß.  
 mechoac. alb. ʒij. sem. fœni græci, baccar. laur. āa. ʒij.  
 Coq. in f. q. ∇ comm. Colat. Rx. ʒviii.  
 in quibus dissolv. elect. lenit. ☉ rut. āa. ʒj.  
 ☿ gemm. ʒij. vitell. ov. n. j. F. l. a. Clysma.

Rx. rad. angelic. alb. belen. āa. ʒij.  
 herb. calamintb. rut. centaur. min.

summit.



*summit. aneth. fl. chamem. Roman. āa. m̄j.*  
*bacc. laur. ʒj. sem. cumin. carv. fœnic. āa. ʒij.*

Coq. in s. q. seri. lactis. Colat. R̄. ℥j.

elect. de bacc. laur. ʒß. hier. pier. c. agaric. ʒiij.

℞ chamem. ʒj. stillat. laur. cumin. carv. āa. gutt. j. vel ij.

vitell. ov. n. j. F. l. a. Clyster.

R̄. ℞ lin. decoct. carmin. āa. ℥ß.

confect. de bacc. laur. ʒij. elect. diacathol. ʒß.

⊖ gemm. ʒij: M. F. Enema.

Evporisti etiam alii ex lacte vaccino cum chamem. veron. & sem. carminat. decocto, addito saccharo, expectationem ex voto satiant. Notatu dignum, ut ubi multi adsunt flatus, tunc primum modicum injiciatur, postea reliquum in majori copiā, aliās flatus copiosi impediunt retentionem clysteris; id quod etiam annotavit *Reinerus Solenander sect. 3. consil. 28. inquit*: observandum, ne clysteris injecti quantitas intestina gravet, aut distendendo dolorem augeat, non semper ad ℥. accedendum, sed in unciis quoque nonnunquam subsistendum. Si autem minus videntur juvare, tum ad alia remedia progrediendum, tum alter injiciendus, vel tertius quoque, uti præter *Riverium* plures annotarunt practici, tum anodyna & opiata iisdem maritali possunt, ceu id ab ipso *Galeno* commendatum legimus, l. 12. M. M. c. 8. ubi *castoreum & opium* addere jubet fabæ circiter magnitudine.

Interius verò huic fini varia debentur v. g. inprimis ℞ oſa, ceu arcanum & specificum *Timpleri* fuit ℞ olivarum cum cerevisiā calidā assumptum, item ℞ amygd. d. c. mannā anaticā proportionē distemperatum & exhibitum, vel idem ℞ cum vino malvatico dari potest, quod secretum est *Crato-nis consil. 158. c. sperm. ceti ʒß. vel extr. calami arom. ʒj.*

Neque obstat nausea in nostro ægro, quæ ipsa in actum promota à talibus, & depletionē factā unā cum morbo feliciter cessabit. Possumus his accensere & alia tum leniendū tum purgandi scopo, quod ipsum urgere potest saburra vitiosa in ægroto abundans, præcipuè si clysteribus cedere dolor renuat,



Consultò ergò accedimus nunc ad PURGANTIA, quæ materiam vitiosam tum ex ventriculo, tum ex intestinis evacuant, penitusque educunt.

Rx. *crystallor.* ☿ri ʒj. ☿ri ☉lati ḡ. vij.

☉ *absinth. cardui bened.* āa. ḡ. iij.

M. D. in chart. S. Digestiv Pulver auff einmahl.

Rx. *extr. aloëtic.* ʒß. *rhabarb.* ʒß.

*trochisc. alband.* ḡ. vj. M. c. Rā ☿ri F. l. a. Pilulæ.

Rx. *gialap. nigr. resin. crem.* ☿ri āa. ʒj.

☉ *anis. gutt. j.* ☿ *diaph.* ḡ. ij. M. S. Purgier Pulver.

Rx. *spec. diagalap. Myns.* ḡ. xxiv. *pulv. syr.* ḡ. iij.

☉ ☿iat, ☉ *zedoar.* āa. ḡ. j. M. F. Pulvis. S. u. f.

Rx. *rhabarbar. elect.* ʒiij. *tamarind.* ʒß.

infund. in ▽ *cichor.* q. f. macera per noctem. Colaturæ fortiter expressæ add. *sir. de cichor. c. rhab.* ʒj.

*ros. solut.* ʒvj. F. l. a. Potio.

Si verò materia vitiosa hisce cedere nolit, & vitium sit in ventriculo superioribus intestinis, præstat exhibere lene vomitorium; sic dari potest ☉ ☉li cum ▽ tepidâ butyro pinguefactâ, ob lenissimam ipsius operationem.

Rx. *elect. de bacc. laur.* ʒj. ☿ *emet.* ḡ. ij. M. F. l. a. Bolus.

Rx. ▽ *fœnic. carmin.* āa. ʒj. *elect. diasar. Fern.* ʒij.

☉ ☉l. ʒj. *sir. de peto.* ʒiij. M. F. Haustus.

Cumque *Carolus Piso* testetur, colicam sæpè sudoribus spontaneis ortis evanuisse, & in ægro nostro præ anxietate idem videatur erumpere, non ineptum erit ea adhibere, quæ & DIAPHORESI blandâ humoris influxum divertunt, & simul egregiè discutunt, inter quæ nominamus ☉ *fulminans correctum*, ☿ *diaph.* ~ ☉ *dulc. R bez.* ~ *theriac. f. & camphor.* ~ *zedoar. compos. lign. sanct.* &c.

Rx. ~ *theriac.* ʒij. ☉ ʒß. *essent. zedoar.* ʒß.

*Ranod. gutt. vj.* M. S. Zertheil. Schweißmixtur.

Rx. ☿



Rx.  $\frac{1}{2}$  diaph. ex regul.  $\mathfrak{z}$ j.  $\odot$  fulmin. correct.  
magist. anod.  $\text{aa}$ .  $\text{g}$ . vj. M.F. Pulvis. D. in chart.  
S. Pulver auff zweymahl.

Ex DIURETICIS R $\text{a}$   $\mathfrak{z}$ ri,  $\mathfrak{z}$   $\odot$ l. R $\text{a}$   $\frac{1}{2}$   $\mathfrak{z}$ sat &  
alia ex  $\odot$ lino fonte, ut  $\odot$   $\mathfrak{z}$ iat. liquor balsam. &c. locum suum  
tuentur.

Rx. R $\text{a}$   $\mathfrak{z}$ i Myns.  $\mathfrak{z}$ iß. essent. calam. arom.  $\mathfrak{z}$ j.  
 $\sim$   $\odot$  \*ci anisat.  $\mathfrak{z}$ ß. M.

ALTERANTIA denique topica & specifica tum IN-  
TERNA tum EXTERNA, imprimis carminativa palmam au-  
ferunt, & colophonem reliquis omnibus addunt.

Sic ad flatus tam in ventriculo quàm intestinis hærentes  
molestosque compescendos discutiendosque valdè conducit  
mixtura Sylvii, quæ talis est:

Rx.  $\nabla$  mentb. fænic.  $\text{aa}$ .  $\mathfrak{z}$ ij.  
 $\nabla$  rectific. vel  $\nabla$  vit. Matth. vel  $\sim$  carm. ejusd.  $\mathfrak{z}$ j.  
 $\sim$   $\odot$  opt. gutt. xv. laud. opiat.  $\text{g}$ . iij.  
 $\odot$  macis still. gutt. vj. sir. mentb.  $\mathfrak{z}$ iß. M.

Hæc mixtura cochleatim assumpta, svadente eodem, sæpius  
parciusve, prout dolores ac tensiones magis minus urgebunt,  
assumatur.

Præ variis aliis usu comperta est essentia carminativa D.  
D. Presidis, in opiologiâ descripta.

Rx.  $\nabla$  carmin. Dorncrell.  $\mathfrak{z}$ vj.  
elæosach. aneth. anis. carv.  $\text{aa}$ .  $\text{g}$ . vj.  
laud. opiat.  $\text{g}$ . iij. sir. cort. citr. aurant.  $\text{aa}$ .  $\mathfrak{z}$ ij. M.

Rx. spec. diacymin. diaspolit. Galen.  $\text{aa}$ .  $\mathfrak{z}$ j.  
flaved. cort. aurant.  $\mathfrak{z}$ ß.  $\frac{1}{2}$  diaph.  $\mathfrak{z}$ j.  
 $\odot$  aurant. gutt. iij. M. F. Pulvis.

Rx. essent. carmin. Magnif. D. D. Pres.  $\mathfrak{z}$  absynth. ejusd.  $\text{aa}$ .  $\mathfrak{z}$ j.  
R $\text{a}$  anod.  $\mathfrak{z}$ ß. M.

Rx. mixt. simpl. camphor.  $\mathfrak{z}$ j. essent. carmin.  $\mathfrak{z}$ iß.  
 $\odot$  caryoph. zedoar.  $\text{aa}$ . gt. ij. R $\text{a}$  anod. gt. vij.  
M. S. Mixtur.

Rx.  $\nabla$



- ℞. ▽ carmin. ℥ij. theriac. Androm. ℥j.  
 o o anis. gt. iij. sir. cort. citr. ℥℔. M. F. Haustus.  
 ℞. ▽ fœnic. ℥ij. elect. de bacc. laur. ℥iv.  
 ~ Ⓞ dulc. ℥℔. sir. anod. ℥iij. M. F. H.  
 ℞. ▽ card. bened. aneth. āā. ℥j. cinnam. ℥ij.  
 elix. vit. Matth. ℥j. ~us Ⓞri gt. vj.  
 extr. calam. arom. cort. aurant. āā. ℥℔.  
 ℞. o o carmin. Myns. ℥j. extr. zedoar. ḡ. iv.  
 M. D. in vitr. S. Grimmeröl.

*Stercus lupinum*, præsertim albidius, quale solent excernere ubi ossa comederint, & præsertim id quod non in terrâ, sed in spinis aut herbis collectum sit, in vino albo & tenuis consistentiæ epotum auxiliatur ejusmodi dolori, ut 10. simpl. c. 21. adfirmat *Galenus*, dicens, qui hujusmodi stercus potarunt, non amplius doloribus his fuisse invasos, aut qui iterum invasi fuerunt non amplius graviter passos esse; quod sanè bibendum non tantum est in paroxysmo, sed etiam intervallis.

Cum verò sæpe adeò accendantur dolorum faces, ut accedenti Medico etiam aliàs prima sæpè hæc obveniat indicatio, ut dolorem sistat, ceu symptoma urgens, & in ægro nostro præ enormitate ejusdem ferè animi deliquium instet, succenturiabimus hisce OPIATA quoque, ut tum intentione secundariâ reliquis mixta in usum trahantur, ut ex superioribus patet, tum nisi videantur illa satisfacere omninò, etiam primariâ.

- ℞. laud. opiat. ḡ. ij. extr. zedoar. ḡ. iij.  
 o o carmin. gt. j. vel ij. M. F. l. a. Pilulæ.

S. Schmerks, Willen.

- ℞. Ræ. anod. ℥℔. ~ Ⓞri gutt. iij. M. D. pro unâ  
 vice c. decoct. cort. aurant.

TOPICA hîc etiam locum habent. Prodesse potest marmor, seu lapis serpentinus, si calefactus imponatur ventri; Vulgus sumit laterem, tegulam vel operculum figulinum lin-  
 teis vino madentibus involutum,



Conveniunt etiam facculi ex herbis adpropriatis parati,  
q. g. ex menthâ, chamem. Rom. cumin. contus. zedoar. milio, fur-  
fure, lino, Ole, &c.

UNGUENTA itidem & BALSAMA conveniunt, ut  $\text{O}$   
N. M. express.  $\text{O}$  fœnic. anis. cumin. mixtum & abdomini illi-  
tum.

Rx.  $\text{O}$  N. M. express. 3j. carmin. Myns. gutt. vj.  
4is, zibeth. ā. g. iij. M. F. linim.

S. Sâblein auff den Nabel.

Commendat etiam Morstius linimentum ex iberiscâ cum  
pauillo zibethi, ad inungendum umbilicum, quo venter &  
intestina corroborantur.

Optimè quoque minimâque cum ægri molestiâ umbilico  
applicabitur subsequens à Zimarâ Antri magic. part. 2. p. 337.  
commendatum.

Rx. galban. q. v. infundatur in alkobol vini, & extrahatur  
vis medicata, infuso postmodum imbuatur castoreum ac colo-  
cynthi q. s. inde placentula facta umbilico imponatur.

Conveniunt etiam EMPLASTRA ventris regioni ad-  
plicata.

Rx. empl. de bacc. laur. 3ij. tacamahac. 3ij.  
malax.  $\text{O}$  Nat. chamem. aneth. carv. cumin. ā. gutt. iv.

Induc. super alut. & obduc. syndone rubrâ.

Rx. empl. carminat. Sylv. 3i.  
malax.  $\text{O}$  carmin. Myns. gutt. vij.  $\text{O}$  hyoscyam. q. s.

M. F. l. a. Emplastrum.

Finem his imponit DIÆTA seu rerum nonnaturalium  
aptum regimen triplex, vitale, naturale & animale.

In VITALI AER fit temperatus, ad calidum tamen ma-  
gis inclinans, purus, serenus, si non naturâ talis, arte præpa-  
randus; inprimis ventriculi & intestinorum regio ab am-  
bientis aëris frigiditate quàm maximè muniatur, summoque  
studio à pedum immoderatâ frigiditate caveatur, utpote quæ  
citissimè per nervos cum ventriculo communicata ejus calo-  
rem opprimit, colicum cruciatum, omneque inflationum genus  
opinione citius procreat.



**IN NATURALI CIBI** sint *εύχρηστοι* & *εύπεπτοι*, facilis concoctionis & digestionis, & vel incidentes vel attenuantes, vel istis conditi; vitentur contra, qui crassum & viscosum generant succum, ut fructus horarii, legumina, aliaque facile corruptibilia, nam quicquid horum assumitur, facile in flatus convertitur, & sic præcordia perpetuò turgida inflataque existunt, totumque corpus ampliorem ferè mole, quàm pro naturæ modo, cernitur.

**POTUS** sit cerevisia probè defæcata, & quia æger antea vini potui unicè erat adfuetus, ob subitam verò desuetudinem hoc malum sibi acquirere potuit, meritò ipsi suadendum esse autumamus vinum Rhenanum, Neccarinum, aliaque probæ notæ.

**IN ANIMALI ANIMI PATHEMATA** sub rationis moderamine teneantur. Tranquillus sit animus, exulet ira, aliæque commotiones graviores.

**VIGILIÆ** vitentur, **SOMNUS** moderatus & paulò longior, quì coctioni faveat, convenit; Immoderata verò quantas cruditates & turbas accumulent, liquidò constat.

**MOTUS** seu exercitatio omnis violenta absit, & **QUIES** moderata eligenda: In paroxysmo quies magis convenit, extra eum corpus exerceat.

**EXCRETIONES** etiam iusto tempore ut fiant, necesse est. Impuro & cruditatibus referto corpori & minùs congrua.





**R**Obur & æs triplex sit circa pectora oportet

nullis dolorum mota sævis ignibus.

Si tortore voles constanti examine abuti,

vel sola coli convocato tormina.

Tu præstare studes ventri quis dolor ne adsit,

hinc laude digna te manebunt præmia.

*Pereximio Dn. Respondenti*

*de felicibus in studio medico progressibus gratu-  
latus benevolum testatur animum*

**Præses.**

**C**Olica grande malum, genetrix foecunda do-  
lorum,

qui intestinorum tormina clausa movent;

Sed Tibi claustra patent, dum dexteritate medendi  
instas: ad famam porta reclusa Tibi!

*ὁλοκαρδίως*

**CL. DNO FRANZIO,**

Auditori suo assiduo,

*Felicissimos porro successus precatur*

**Augustinus Henricus Faschius, D.**

*Archiat. Ducalis Saxonicus, Profess.*

*Publ. h. t. Decanus.*

Auto-



Autori Exercitii hujus Medici consultatorii,  
perquam doctè elaborati,

*Præximo ac Clarissimo*

DN. ELIÆ FRANKEN EISENBERGENSI,

Inquilino & Amico conjunctissimo,

*Studiorum incrementa, vitæque perennem  
integritatem apprecor.*

**I**ngenii sic promissæ opes, specimenque laborum  
edis præclarum; hinc dat Tibi Jena decus.  
Conatum meritò collaudo, & summus Iova  
ut Tibi decernat commoda cuncta, precor!

*Calamo properante adjicere voluit*

Johann Conrad Zuch

Med. Doct.

**G**allica dum gliscunt jam prælia, Tu quoque, FRANZE,  
Palladis auspiciis bella parare studes.  
Non ea, quæ fraudi sint exitiove cuiquam,  
proficua aut aliis atque decora TIBI.  
Ergò macte Tuis ausis! Pugnando coronam  
victtricem mox & plura brabeia feres!

*Quibus Nobilissimo Dn. Resp. Auctori*

*L. M. Q. adplaudebatur*

Frid. Calenus,

Phil. & Theol. St.

F. I. N. I. S.

Auco